
MEMORIÆ
REGINÆ
DOROTHEÆ
1575.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 254 [35,-155 4°]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 254 [35,-155 4°]


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 254 [35,-155 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 254 [35,-155 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 254 [35,-155 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 254 [35,-155 4°]

35,-155-4°
(LN bis 254)
DA BOX
BIBLIOTHECA REGIA · HAFNIENSIS ·
Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 254 [35,-155 4°]


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 254 [35,-155 4°]

35,-155-4°
DA Bol

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 254 [35,-155 4°]

MEMORIÆ ILLVSTRISSIMÆ DOMINÆ DOROTHEÆ SERENISSIMI DANORVM REGIS FRIDERICI PRIMI FILIAE: ILLVSTRISSIMI MEGAPOLITANORVM DVCIS CHRISTOPHORI CONIVGIS.

LVCTVS ACADEMIÆ Roſtochienſis.



ROSTOCHII
Excudebat Iacobus Lucius.

Anno ∞ Ɖ LXXV

Z.

Inguarus Holsatus

A. 70

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 254 [35,-155 4°]



BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 254 [35,-155 4°]

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, *DN. CHRISTOPHORO, DVCI MEgapol. Principi Vandalorum, Comiti Suerinenſium, Domino Roſtochienſium & Stargardiorum. Domino ſuo Clementiſs.*

REx lacrymas ægro fundens ſi corde Pheræus
Cuncta domi queritur triſtia, cuncta foris;
Alceſten quando vxorem tumularet, amatam
Ex animo, & thalami ſpemq́ decusq́ ſui:
Quid tibi mentis erit princeps cariſsime Muſis,
Chriſtophore Heruleæ viua columna domus?
Doreothêa placens vxor cui nuper adempta
Pro thalamo tumuli concaua ſaxa ſubit?
Nonne etiam ſimilis cruciat tibi pectora luctus?
Mæſta domi vt credas omnia, mæſta foris?
Credo equidem: quin crebra illud ſuſpiria, crebri
Singultus, gemitus, lacrymulæq́ probant.

Siſte

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 254 [35,-155 4°]

Siſte tamen lacrymas, finemq́; impone querelis,
Quandoquidem lacrymis non eget illa tuis,
Cui lacrymas iam dudum omnes abſterſit Ieſus,
Cara incredibili cui pietate fuit.
Is quandoq; tui reprimet quoq; verbera luctus,
Qui modo te ſiccis non ſinit ire genis.
Interea gemitus diua pro coniuge fuſos,
Et lege mandato carmina cœpta tuo.
Defunctæq́; tuæ veras non neglige laudes,
Quæ tibi, dum vixit, complacuere. vale.

M. NATHAN CHYTRAEVS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 254 [35,-155 4°]

MEMORIÆ
ILLVSTRISSIMÆ DOMINÆ DOROTHEÆ, SERENISSIMI DANORVM REGIS FRIDERICI PRIMI FILIAE: ILLVSTRISſimi Megapolitanorum Ducis Chriſtophori Coniugis.

CARMEN
NATHANIS CHYTRÆI.

NVncia fama meas poſtquam peruenit ad aures,
Doreothêæ obitum memorans, viduiq́; mariti
Lamenta, & fratrum gemitus, lacrymasq́; ſororis
Sidereæ: attonitus primò ſine mente ſonoq́;
Dirigui penitus. quid enim, dum publicus omnes
Excruciat plangor facerem? numne vnus acerbo
Integer à luctu, nullos in corde dolores
Sentirem immitis? non ſunt ita ferrea nobis
Pectora, qui colimus faciles ante omnia Muſas:
Non animi vſq; adeò ingrati, Charis ipſa ſalubri

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 254 [35,-155 4°]

Quos alit ambroſia, quos ipſe informat Apollo.
Obſtupui fateor, nec enim pudet: inſuper idem
Confiteor, ſolitis me aptantem carmina plectris
Defeciſſe animo: cum nec conatibus eſſet
Æqua meis, quam præ reliquis conſtanter amaui
Melpomene, in noſtras quondam officioſa camœnas:
Nec ſolito flueret mihi vena operoſa liquore:
Neſcia ventoſos efflare ex tempore verſus,
Neſcia venalem inuitis obtrudere palpum,
Neſcia proſtibulis caſtas æquare puellas.
Ergò mihi dubio hæc melior ſententia viſa eſt,
Nil potius, quam ieiunè de funere tanto
Dicere, & ingenij culpa, nomenq; decusq;
Deterere eximiæ virtutibus heroinæ.
Id quod grande nefas veteres quandoq; putabant.
Hæc agitanti animo ambiguo, ſacer ille Machaon
Improuiſus adeſt, mihi qui mandata benignj
Principis exponit paucis pro tempore verbis:
Quîs ego, ceu ſubita afflatus, vi numinis, aura,
Senſi equidem inſolitum recreata in mente vigorem,
Ipſaq; Melpomene, facili iam blandior ore,
Me vidit, præiensq; ſuis mihi ſedula verbis,
Cunctanti & trepido, ſed non iniuſſa canenti,
Talibus ora modis, pridem expectata, reſoluit.
Sicne igitur regum ſoboles pulcherrima, ſicne
Doreothêa iaces, longè formoſior olim

Flore

Flore roſæ; nunc afflatis pallentior aura
Brumali folijs: nec te ſanctiſsima vita,
Et pudor & probitas: ſed nec querimonia fratrum,
Vota viri, miſeranda piæ lamenta ſororis
Te poterant ſeruare tuis, & pellere mortem?
Fundite Varnigenæ lacrymoſa meliſmata cycni.
Nympharum decus occubuit, quas Cimbrias ora,
Dania quas vaſto latè circumflua ponto,
Vandala quas tellus merito veneratur honore.
Scilicet huic veterum nulli virtute ſecundus
Rex genitor Fridericus erat, quem Balthica regna
Agnouere patrem, cui paruit vltima Thule.
Fundite Varnigenæ lacrymoſa meliſmata cycni.
Doreothêa iacet, dignam iſto nomine quæ ſe
Præſtitit, æterni regis ter nobile munus;
Cara ipſi, ſtudioſa viri, ſtudioſa ſuorum,
Munifica in tenues, & iniquæ ſortis egenos,
Imprimisq́ gregem miſerum, cui maluit omni
Prodeſſe officioſa modo, quàm ſponte nouorum
More tyrannorum laceram deglubere plebem.
Fundite Varnigenæ lacrymoſa meliſmata cycni.
Doreothêa iacet, ſoror illuſtriſsima fratrum,
Cimbriacæ qui ſceptra gerunt victricia gentis,
Conſpicui virtute duces, meritisq́ verendi.
Quos inter quis non primo dignetur honore
Heroëm, à Chriſto memorabile nomen habentem,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 254 [35,-155 4°]

Heroëm, cuius nullo laus deſinet æuo,
Inclyta Mænaliam dum Dania ſurget ad arcton,
Dum vaſto excipiet Boream Noruegia tractu,
Sulphurea horribili dum diffluet Hecla vlulatu.
His etenim rex iura dedit, pietatis amore
Eximius, patriæq́; pater, columenq́; bonorum
Dictus, adhuc memori quorum ſub pectore viuit.
Fundite Varnigenæ lacrymoſa meliſmata cycnj,
Doreothêa iacet, ſoror ornatiſsima carj
Fratris Ioannis, veteri virtute fideq́;
Qui celebris, populum lucroſa in pace gubernat,
Canicieq́; ſua & merito venerabilis ipſis
Regibus eſt, viridiq́; vigens crudaq́; ſenecta,
Exigit innocuam Dux ſtrato in celibe vitam,
Vnis intentus precibus, patriæq́; ſaluti.
Fundite Varnigenæ lacrymoſa meliſmata cycnj.
Doreothêa iacet, ſoror inclyta fratris Adolphi,
Martigenæ herois nulli virtute ſecundi:
Doreothêa iacet, ſoror optatiſsima votis
Eliſabetha tuis, quæ nunc quoq; veſtibus atris
Obſita, ſidereos lacrymis corrumpis ocellos,
Atq; incredibilem fers ægro in corde dolorem.
Quin tecum lugere facis, cum ciue colonos,
Inſignes vrbes, villas, rura, oppida, pagos,
Et populi tota cum nobilitate magiſtros,
Inſignesq́; aulæ proceres, Roſeiq́; Lycej

Docto

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 254 [35,-155 4°]

Doctores iuueneſq́ pios, tecum ipſe maritus
Magnus Vdalricus mœſti dat ſigna doloris
Pullatus. ſed nec ſimilis tibi filia, felix
Arctoæ regina plagæ: ſed nec gener ipſe
Rex Fridericus, aui referens optabile nomen,
Abſiſtent lacrymis, communis tempore luctus.
Fundite Varnigenæ lacrymoſa meliſmata cycni,
Omnibus illa quidem lacrymabilis occidit vna,
Sed nulli lacrymabilior quàm compare tæda
Cui coniuncta fuit, cum quo, ſi fata dediſſent,
Exigere ætatem longæua in pace placebat.
Hic ille eſt dux Chriſtophorus, iuuenilibus annis
Integer, at miſerum celans ſub pectore vulnus:
Chriſtophorus Phœbo carus, Megalepolis Arcto
Quem vicina colit, votisq́ ardentibus optat,
Mutet vt omnigenos Ducis in noua gaudia luctus.
Fundite Varnigenæ lacrymoſa meliſmata cycni.
Chriſtophori Ducis occubuit cariſsima coniunx:
Dilectiq́ vices fratris gemis optime princeps
Ioannes Alberte, tuis circumdate natis.
Heruleæ nec flos gentis Dux Carolus ægro
Temperat à luctu, carum dum funera cernit
Ducere germanum, nihil eſt quo carius illi,
Nil optabilius, nil toto antiquius æuo.
Fundite Varnigenæ lacrymoſa meliſmata cycni.
Cimber & vndiſoni iam flebilis accola Varni

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 254 [35,-155 4°]

Quid ceſſas tepidos lacrymarum fundere riuos?
Doreothêa iacet quondam veſtra inclyta princeps,
Veſtrarum cuſtos domuum, tutela focorum,
Supplicibus facilis, cunctis venientibus æqua,
Fœminei generis decus, exemplumq́; perenne:
Ornamenta animi, atq; auro magis aurea virtus,
Quam priſcis fecere parem, multisq́; priorem.
Fundite Varnigenæ lacrymoſa meliſmata cycni.
Doreothêa iacet princeps noſtro optima ſeclo,
Iamq́; illi haud ſolito diffulgent labra rubore:
Clauſa ſupercilijs, quondam radiantia, torpent
Lumina; pallentes vigor omnis deſerit artus.
Quin illa moriente, ſimul moriuntur honores
Syluarum, terræq́; decus: ſcelerata pruina
Omnia deformat, glaciesq́; & nubila paßim
Regna tenent, tumidis inſurgit fluctibus æquor.
Fundite Varnigenæ lacrymoſa meliſmata cycni,
Dum philomela ſilet, lugentq́; atrata columbæ
Funera, & Alcyones ſcopulos, & littora circum
Triſte ſonant, ſtagnisq́; imis ſe mergit hirundo.
Nec gemere arenti deſiſtit turtur ab orno.
Dum Delphin fugit, & luctu tabeſcit amaro,
Atq; imo Oceani plorant ſub gurgite phocæ.
Fundite Varnigenæ lacrymoſa meliſmata cycnj.
Flebilibusq́; choro nympharum hæc dicite verbis,
Nympharum, quæ veliuolæ pendentia Balthes

Pumi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 254 [35,-155 4°]

Pumice tecta tenent, lateq́ ſedilia complent
Vitrea, vbi rapido centum vndiq́ flumina motu
Centum amnes coëunt. hic illis dicite cycni,
Vt carmen lugubre canant, miſerabile carmen
Vt repetant, iterentq́ adeò, quod mobilis aura
Differat in varias mundi quadruplicis oras.
Sed ſatis indultum eſt lacrymis, vehementior æquo
Non debet dolor eſſe viri: nec luctibus illa
Indiget, vſq́ adeò ſanctè, placideq́ pieq́
Quæ ſupremam animam poſuit, votisq́ profuſis
Ingemuit Chriſtum, cui verba nouiſsima dixit,
Et cui Chriſtus amor, Chriſtus decor, omnia Chriſtus.
Siſtite Varnigenæ lacrymoſa meliſmata cycnj.
Olim tempus erit, quod nec procul auguror eſſe,
Quando illa exuuijs, Chriſto donante, receptis
Marmorej exibit gaudens è fornice clauſtri,
Cumq́ Deo æternas, non morti obnoxia, luces
Exiget, angelicæ par maieſtate cohorti.
Siſtite Varnigenæ lacrymoſa meliſmata cycni.
Scilicet vt riguas quæ complent lilia valles,
Vt violæ, aut folijs vt Pæonis herba tenellis
Intereunt brumæ aduentu, penitusq́ putreſcunt:
Verùm vbi ſol nouus exoritur, redijtq́ nouum ver,
Tum redeunt horti pulcherrima ſidera flores,
Amiſsumq́ decus telluri afflatur, vt illa
Iam nitidas ornata comas arrideat æthræ:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 254 [35,-155 4°]

Haud aliter vacuis illata cadauera buſtis
Non ſopor æternus, non mors æterna coërcet;
Iuſtitiæ cum ſole eadem quandoq; reſurgent
Integra, & innatæ nil prorſus habentia labis,
Vt mox perpetuæ ducant exordia vitæ.
Lux eadem raptam tibi reddet Doreotheâm,
Reſtituetq; ſuis, qui reſtituentur & illi,
Vt pariter regno nunquam intereunte fruantur.
Siſtite Varnigenæ lacrymoſa meliſmata cycni.
At tu Melpomene ante omnes mihi cara Camoenas,
Quæſo hæc, en lacrymis perfuſa meliſmata noſtris,
Sume tibi, lætaq; manu vultusq; tuere,
Et nebulas tenebrasq; omnes à verſibus arce
Diua meis, rapidi ne filia temporis ætas,
Aut rubigo illos arrodat dente maligno,
Obducens laceris inopina obliuia chartis.
Fac potius tanti & tam clari pagina cuſtos
Nominis, vt vita ſine ſine ſuperſtite viuat,
Atq; ita Doreotheâe omnem laus impleat orbem.
Siſtite Varnigenæ lacrymoſa meliſmata cycni.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 254 [35,-155 4°]


AD DN. VDALRICVM ET DN. ELISABETHAM PRIN-CIP. MEGAP. CONIVGES ILLVSTRISS.

ΠΑΡΑΜΥΘΗΤΙΚΟΝ

NATHANIS CHYTRAEI.

PEctora quid gemitu excrucias clariſſime princeps?
Quod tibi fraterna ſemper amata fide
Doreothêa iacet: quid fletu rumpis ocellos
Germanæ ad tumulos Eliſabetha tuæ?
Occidit illa quidem frigus lethale videnti
Corporis, & gelidæ pallida labra genæ:
Verùm animus ſuperum felici ſede receptus,
Ærumnis, lacrymis, funere liber agit.
Cum Chriſtoq; ſuo (quem viua ardenter amauit,
Intrepida tenuit quem moritura fide,
Per quem nec rabiem mortis nec tartara ſenſit)
Suauitér æternæ dona quietis habet.
Quiſnam igitur lacrymis locus eſt? quæ cauſa dolorum?
Omnia lætitiæ ſunt vbi plena nouæ.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 254 [35,-155 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 254 [35,-155 4°]

EPITAPHIVM

CHriſtophori coniunx, Friderici filia primi,
Holſatiæq́; ducum laude vehenda ſoror,
Quin ſoror Eliſabethæ etiam, qua Cimbrias ora
Et vix maius habent Balthica regna decus,
Doreothea caui iacet hic ſub marmore ſaxj,
Dulce Dei munus quæ modò viua fuit.
Ingenio & veræ excellens pietatis amore,
Sancta oculis, lingua, pectore, corde, manu.
Ore decens, ſermone grauis, non dura clienti,
Veſtitu & victu ſobria, blanda viro.
Dulce ſed hoc munus, qui contulit, abſtulit idem,
Cuius in æterna ſunt ſita cuncta manu.
Pareat huic coniunx, fratres, ſoror aurea: quando
Non perijſſe illam ſed præijſſe liquet.
Non moritur, benè tranſactæ poſt tempora vitæ
Qui moritur, neſcit vita beata mori.

OBIIT ANNO M. D. LXXV.
III. Id. Nouembris.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 254 [35,-155 4°]

ALIVD.

Cimbrorum regis Friderici filia primi
Doreothêa iſto fornice tecta cubat.
Quæ ſoror, & neptis, glos, vxor, fratria regum,
Non tamen inflato turgida corde fuit.

FATALIS DIES.

Callioream arcem quando noua nupta ſubiuit,
Doreothêa ſuo conſociata Duci,
Martino ſacrata dies illuxerat orbi,
Plenaq́ erant riſus omnia, plena ioci:
En vix Phillyridæ bis ſpicula Phœbus aduſsit,
Fecit & autumnos Pleïas orta duos,
Lux eadem cum vix nuptæ funeſta, repleuit
Omnia lamentis, omnia lacrymulis.
Terreniſq́ illam ſublatam ex arcibus, aſtris
Intulit, & cæli regna tenere dedit.
Diſce hinc mundanis quæ ſit conſtantia rebus,
Si ſapis, & ſuperæ gaudia quære domus.

FINIS.

ALIVD

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 254 [35,-155 4°]

ALIVD

PETRI MEMMII ME-
DICINÆ DOCTORIS.

ERgo tuam nondum ceſſas immittere falcem,
O Mors in ſegetem Chriſtoq́; Deoq́; ſacratam?
Tu niueos tetroſq́; ſimul, diſcrimine nullo
Tollis? & in mentem quidquid modò ſæua ſubibit,
An liceat patrare tibi, ſemperq́; licebit?
Non priùs in dubium reuocas, ac mente reuoluis,
Quid ſtulto interſit ſapiens? pietasq́; quid omnis
Differat à magno peruerſæ gurgite vitæ?
Diſsimiles etiam trutina num pendis eadem?
Nulla tibi ratio hîc æquiq́; boniq́; probatur?
Nos vmbræ quoties miſeros immittis opacæ.
Ah neſcis quid in his turbis, ſæuiſsima rerum,
Humano proſit generi: moresq́; beatos
Reddat in hac vita fragili: Tu fræna coherce,
Summe parens rerum, fatique & mortis iniquæ:
Non iter ad iugulum pateat, nec curſus ad omnes
Pro libitu poſthac: quin cum diſcrimine mactet
Ex hac quos vita nigras traducet in vmbras.

Sunt aliqui (miſſos ſtygium conducit ad orcum,)
Qui neq; naturam mutant formidine pœnæ,
Nec vitam in melius formant virtutis amore,
Nec deſunt aliqui rerum quos ordine ſpreto
Cernimus in varios fœdosq; libidinis æſtus,
Corruere vt pecudes: atri quos ianua Ditis
Deuoret, ac imis conſumat faucibus omnes,
Vnica quêis poſita eſt turgenti in ventre voluptas,
Fœx populi, quibus haud ſupereſt, nec flammula verj,
Nec pure diuorum hominúmue ſcientia legis.
Dic mihi quid referat, viuant ſeu morte premantur?
Hæc tibi deliciæ Mors ſint ludibria mundi,
Hos vita indignos meritò exercebis: At aptos
Præclaris mundo rebus poſtpone gerendis.
Quid reſponſa iuuent prudentum: vita piorum
Quàm fuerit fælix vitæ ſtructura beatæ,
O Mors tu neſcis, neſcis ſtupidiſsima rerum.
Dicere me verum grandis iactura docebit:
Hæc ætas quam fert, illuſtri Principe dempta
DOROTHEA ſacro DAnorum ſanguine nata.
Non ego, quam ſtirpem deduxit regibus amplam,
Commemoro: paucis obitus qua parte nocebit
O Mors obijciam, vt tibi pòſt exempla capeſſas.
Omnes illa ſibi Diuos deuinxit amore,
Atq; ipſos coluit teneris dum vixit ab annis:
Nulla dies abijt, quin terq; quaterq; precata

Ordine

Ordine luſtrárit ſacros pietate libellos:
Quodq́; ſalutiferum ac ſemper memorabile duxit,
Ancillis ſolita & fidis dictare miniſtris.
Illius hic animus Diuûm ſpirare timorem
Eſt ſolitus: meminiſſe ſimul quæ pœna ſequatur,
Dum vitam laxis nimium quis ducit habenis:
Omnibus ac verbi diuini inducere curam
Deſijt hæc nunquam, quoties occaſio iuſsit.
Res quocunq́; loco fuerint mens conſtitit vſq́;
Atq́; aduerſa ſimul cum lætis miſcuit aptè.
Fæminei quamuis ſexus magnalia dico,
Non animum facilis ſubeat miratio veſtrum,
Non hæc ipſa ſibi, verùm Deus ocia fecit,
Hos animo donat conſtans oratio neruos.
Paupertatis amans, & cuſtos ſemper honeſti,
Norma pudicitiæ & iurati gloria lecti.
Luxurians rebus vixit ſic ipſa ſecundis,
Et vitæ moriens permanſit imago beatæ.
Illa animo magnoq́; tulit fortiq́; dolores,
Et luctam carnis precibus deuicit inermem.
Reddidit has tandem pertriſtes voce querelas:
Hei mihi cur Domino nondum coniungor amico?
Ortus ab occaſu quantum diſtare videtur,
A ſe tam longè Dominus peccata remouit,
Figmentum nouit manuum Deus ipſe ſuarum:
Hei mihi cur Domino nondum coniungor amico?

Sæpius

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 254 [35,-155 4°]

Sæpius hanc alto repetiuit pectore vocem,
Et mox in Domino placidè ſic fando quieſcens,
Hæc nobis viuens morienſq; exempla reliquit.
Iam mors cognoſcis, talpa niſi cæcior eſſes,
Vitæ quid turpi virtus præponderet omnis,
Vtilis haud truncus, vitam nec ſaxa per omnem
Conducunt, tantum mores corrumpere nati.
DOROTHEAN ſumma natam de gente tuliſti
DAnorum, ah horrendam te quid narro tuliſſe.
Millia ſunt hominum nullis accommoda rebus,
His pharetram decuit veſtram geſtaſſe paratam.
DOROTHEÆ meritò tribuiſſes Neſtoris annos,
Moribus erudijt claris iuueneſq; ſeneſq;,
Et veræ (quamuis Princeps) pietatis imago,
Hæc animo nobis forti toleranda ruina eſt:
Tu ſtimulum poſthàc ò Mors à talibus aufer.
Auribus aſt video hæc tete tranſmittere ſurdis,
Omnia quæ prudens dictat tibi fabula fiunt.
Hinc ego, qui morti forſan ſum proximus atræ,
Exhortor fida mortalia pectora mente,
Inſtituat vitam diuinis legibus aptam,
Oderit æternæ quiſquis calcaria mortis.

DIVÆ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 254 [35,-155 4°]

DIVÆ DOROTHEAÆ CIMBRICÆ.

ΘΕίης Δωροθέης θεοδώρου, τιμοθέοιο,
Νοῦς ἀπὸ γῆς καθαρὸς ποτὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἀπέπτη,
Θνητὸν σῶμα λιπών. ἐπεὶ γὰρ μερόπεσσι πέπρωται
Πᾶσι θανεῖν, ὅπερ ἄλγιστον καὶ πᾶσι τέτυκται,
Πάντες ἐπεὶ ἤρξαντ' ἐσορᾶν φάος ἠελίοιο:
Οὔτέ ποτ' ἲς θανάτοιο κραταιὴ φείδετο πλούτου,
Οὐτέ ποτ' εὐγενίης, οὔτ' ἰσχύος, οὐτέ τι κάλλους,
Οὔθ' ἥβης ῥαδινῆς, οὔτ' αὐτῆς παμβασιλείας,
Οὔτ' ἀρετῆς, οὔτ' αὖ σοφίης, οὔτ' αὖ τινος ἄλλου.
Οὔτε γὰρ εὐσεβίη, τῆς οὐκ ἀντάξιον οὐδὲν
Ἐν θνητοῖσιν ἔφυ, θνητοὺς ἐρρύσατο μοίρας.
Ὣς ἄρα κἀργαλέη πάντες πειθώμεθ' ἀνάγκη:
Μήτε, μάτην στυγεροῖσι γόοις καὶ δάκρυσι θερμοῖς
Τηκόμενοι, κραδίῃσι τρέφωμεν πένθος ἄλαστον.
Ἀλλὰ παρόντα λαβόντες ἀπ' ἐσθλοδοτῆρος ἐάων
Ηδέα καὶ λυπηρὰ μεμιγμένα, θείῃ ἐφετμῇ
Μᾶλλον ἀκεστορίης εὕρωμεν μήδεα πυκνὰ
Πὰρ λόγου ὀρθόφρονος καὶ ἱρογράφων ἀπὸ βίβλων.
Εἰδότες, ὡς ἀέκητι φίλου πατρὸς ἔσσεται οὐδὲν,
Οὐ κακὸν, οὐδ' ἀγαθὸν: καί οἱ τάδε πάντα μέμηλεν:
Ὡς νόος ἀνθρώπων θείου νόος, οἷά τ' ἀπορρὼξ
Ζῇ ὀλέσας θνητὸν δέμας: αὐτὸς δ' οὔποτ' ὀλεῖται.
Καὶ τόδε δὴ νημερτές. Ἀναμφήριστος ἔπειτα
Μείζοντ' ἐλπωρὴ τελέθει Χριστωνύμῳ ἔθνει.
Ἔσθ' ὅτε γὰρ πιστοὶ Χριστῷ ὀλετῆρι μόροιο

Ζωοδότη, καὶ ἡμεῖς νοστήσομεν ἐξ ἀΐδαο.
Ἀφθάρτων μετέχοι ζώοντες εὐφροσυνάων.
Τοὔνεκα, εἰ καὶ νῦν ἡμῖν μέγα πένθος ὄρωρε,
Δωροθέη ἐπεὶ οὐλομένῃ νόσῳ ἐξεμαράνθη,
Μὴ κλαίωμεν ἄπαυστον ἀνέλπιδες, ἀφρονέοντες.
Πειθόμενοι γὰρ νόμοις θνητοῖσι, θεοῦ τ' ἰότητι
Ἀργαλέην θᾶσσον ψυχῆς ἀκεσώμεθα λύπην:
Μᾶλλον δὲ κλείωμεν ἀοιδαῖς περίησι
Θείην Δωροθέην μεγάλου πατρὸς ἐκγεγαυῖαν.
Καὶ γάρ νιν βασιλεῖ μεγαλήτορι νυμφευθεῖσα.
Δανῶν καὶ γωθῶν, Φρεδερίκῳ ἐξελόχευσεν.
Εὐειδὴς σοφίη πομεράνων ἄνθος ἀνάσσων:
Καὶ μεγάλην αὐτήν. καὶ γὰρ θεοειδεῖ μορφῇ
Δωροθέη, καὶ δὴ συνεταῖς πραπίδεσσι κέκαστο.
Αὐτίκα δ' οὐκ ἀλόγως ἤχθη τυτθῆς ἀπὸ παιδὸς:
Εἶτα κασιγνήτην μιμήσατ' ἐλισσαβέτειαν,
Ἡ φρεσὶν εὐσεβίῃ τε μεταπρέπει ἡρωίναις,
Δυστυχέουσι λιμὴν, ζαθέοις ἱερεῦσιν ἀρωγὴ,
Σεμνῶν ἀονίδων εὐεργέτις: οὕνεκα πάσαις
Μακρόβιος ζώοι ἐν ἀνάσσαις ὀλβιοδαίμων.
Τῆσδε κασιγνήτης ἠθῶν μιμήτειρα κεδνῶν
Αὐτὴ γινομένη, φάος ἦν ἐνὶ παρθενικῇσιν,
Παρθενικῇσιν, ὅσαι βασιλήων εἰσὶ θυγάτρες.
Αἰὲν ἐφημοσυνῆς μεμνημένη οὐρανοδείκτου,
Εὐχῇσιν καθαραῖς πατέρ' ὑψιμέδοντα γέραιρεν,
Καὶ καθαρῇ κραδίῃ νύκτας τε καὶ ἤματα πάντα,
Ἧ ἐνὶ παρθενίηφι, βίου ἐν ὁμόζυγος ὥρᾳ
Χριστοφόρου μεγάλης πόλεως ἄρχοντος ἄκοιτις.
Χριστοφόρου, ὃς πολλὰ πάθεν, καὶ πολλὰ ἔοργεν
Γαίῃ ἐν ἀλλοδαπῇ, τριποθήτου τηλόθι πάτρης,
Εὐτυχίας καὶ δυστυχίας ἀνδρεῖος ἐνεγκεῖν:
Νῦν δὲ φίλης ἀλόχου κοσμεῖ τάφον ἀχνύμενος κῆρ:

Τῇδε

Τῇδε γυναικείη τ' ἀρετὴ καὶ νοῦς βασίλειος
Ἔσκε, ταλαιπώρους εὖ δρῶσ' ἐλεήμονι θυμῷ.
Πᾶσι θεὰ ἐδόκει τῆδ' ἐν θνητοῖσι γενέσθαι.
Θαῦμα τόδ'· ὥστε γυνὴ ἰδιωτεύοντα σαόφρων
Τιμοθέως ἐβίω, καὶ τὸν βίον ἐξετέλεσσε.
Νοῦν Χριστῷ παρέδωκε· δέμας γῇ· τοὔνομα μούσαις·
Μοῦσαι δ' ἀενίησί νιν ὑμνήσουσιν ἀοιδαῖς·
Ὡς δὴ Δωροθέης θείης κλέος οὐκ ἀπολεῖται.

IOANNES CASELIVS.

Interpretatio
GRAECORVM VERSVVM.

DIuæ Dorotheæ, à deo datæ, cultricis DEI,
Mens pura è tellure in apertū cælum ſe recepit,
Mortale corpus deſerens. Etenim hominibus fatale eſt,
Omnibus mori, qui dolor omnibus eſt grauiſſimus,
Omnes ſiquidem cæperunt intueri lucem ſolis.
Neq; vnquam vis mortis improba pepercit opibus,
Neq; generi, neq; robori, neq; formæ,
Neq; teneræ adoleſcentiæ, neq; ipſi omnium imperio,
Neq; virtuti, neq; ſapientiæ, neq; etiam cuiquam alij rei.
Neq; enim pietas, quîcum comparari nihil
Apud mortales poteſt, mortales à fato eripuit.
Quare omnes pareamus difficili neceſſitati,
Neq; fruſtra, inuiſo eiulatu & calidis lacrymis
Contabeſcentes, corde alamus immenſum luctum.
Sed præſentibus acceptis à largitore beneficiorum

Et dul-

Et dulcibus & triſtibus miſtim, diuino mandato
Potius medicinæ varia conſilia inueniamus,
E ratione recta ſapiente & è libris ſacris:
Et nouerimus: quod nihil inuito omniũ patre ſit futurũ,
Neq; bonum, neq; malum: quin ipſi hæc omnia curæ ſunt.
Quod mens hominum diuinæ mentis, veluti defluxus,
Viuit perdito mortali corpore: ipſa verò nunquã peribit.
Atq; hoc ita ſe habet. Haud dubia deinceps
Et maior ſpes eſt Chriſtianæ genti.
Olim enim freti Chriſto, perditore necis,
Datore vitæ, etiam nos reuertemur ex inferis:
Incorruptibilis participes, viuentes, letitiæ.
Quare, etſi nobis nunc ingens luctus ingruit,
Cum Dorothea pernicioſo morbo contabuit,
Ne ploremus perpetuò, ſpei expertes, mente capti.
Obtemperantes autem legibus mortalium & voluntati
Grauem ocyùs animi ſanemus dolorem. (Dei,
Quin potius celebremus carminibus Pierijs
Diuam Dorotheam, magno patre ortam.
Ipſam enim regi magnanimo nupta
Danorum & Gothorum, Friderico edidit
Formoſa Sophia, Pomeranarum flos reginarum:
Ipſam quoq; magnam. Namq; diuina pulchritudine
Dorothea, atq; inſuper intelligenti menti ornata erat.
Statim autem non ſine ratione educata fuit à parua pu-
Deinde ſororem imitata fuit Eliſabetam: (ella:
Quæ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 254 [35,-155 4°]

Quæ ſapientia & pietate ſuperat heroinas,
Infelicibus portus, diuinis ſacerdotibus auxilium,
De grauibus Muſis bene merita: Igitur cunctas
Longæua viuat inter reginas beatiſsima.
Huius ſororis morum inſignium imitatrix
Ipſa cum eſſet, lux erat virginum,
Virginum earum, quæ regum eſſent filiæ.
Semper legis diuinitus oſtenſæ memor,
Puris precibus patrem ſummum venerabatur,
Et puro corde, noctes & dies,
Et in virginitate, & tempore vitæ coniugalis
Chriſtophori Megapolitani ducis coniunx,
Chriſtophori, qui multa tulit, & multa fecit
Aliena in terra, procul ab optata patria,
Res & ſecundas & aduerſas fortis tolerare.
Nunc verò charæ coniugis ſepulchrum ornat, dolēte ani-(mo:
Ipſi autem erat virtus muliebris & mens regia
Cumq; calamitoſos beneficijs afficeret animo miſericor-(de,
Omnibus Dea videbatur hic inter mortales eſſe.
Hoc mirandum: modeſta, vt priuata femina,
Pie & vixit, & vitam finijt.
Mentem Chriſto tradidit: corpus terræ: nomen Muſis.
Muſæ verò ipſam Aonijs celebrabunt verſibus.
Sic igitur Dorotheæ diuæ laus non interibit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 254 [35,-155 4°]

ALIVD

M. IOHANNIS FREDERI

INclyta Danorum Friderici filia regis,
Heroinarum decus, illuſtriſq́ corona
Virtutum, fidei ſpecimen, caſtiq́ pudoris,
Diuinis donata bonis & nomine tanto
DOROTHEÆ inprimis digna illuſtriſsima princeps,
CHRISTOPHORI Megalepoleos Ducis inclyta con-
In qua nobilitas morum cum ſtemmate, formæ (iunx,
Gratia cum vero certans pietatis amore,
In qua ſimplicitas & flore nitentior omni
Candor, & integritas, & mens Heroïca fulgens,
Cordaq́ materna bonitate iuuantia egenos
Regnabant, pacis ſtudioſa & dedita recto,
E mundo cedens hoc condidit oſſa ſepulchro.
E heu quàm fragili dependent omnia filo.
O ſi vita bonum, ſi præſens vita voluptas;
Quàm breue vita bonum, quàm non hæc firma voluptas.
Ceu Roſa pulcra cadit, per aquas vt bulla tumeſcens
Interit, & veluti ros diffluit, vmbra recedit:
Sic homo quantumuis illuſtri ſtemmate natus

Quan-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 254 [35,-155 4°]

Quamtumuis pietate, fide, virtute celebris,
Tollitur èmedio: nihil eſt quod funera tardet
Cum Diuina vocat nos è ſtatione voluntas,
Non genus aut pietas aut illuſtriſsima virtus.
Hypſicrathea ſuo coniunx fidiſsima Regi,
Admeto Alceſtis, Pompeio Iulia, Vlyſsi
Penelope, Abradatæ Panthea, & Portia Bruto,
Milleq́; præterea celebrantur carmine vatum:
At non DOROTHEÆ certent, quam gloria veræ
Veri notitiæ ſuper omnia numinis ornans
Reddidit illuſtrem CHRiſto, caramq́; marito.
E mundiq́; plagis in cæli tranſtulit arcem,
Ante Deum claro radiantem clarius aſtro:
Nunc vbi cæleſtes inter nitet Heroïnas
Heroinarum decus, illuſtrisq́; corona.

EPITAPHIVM
EODEM AVTORE.

CHRISTOPhori Megalepoleos Ducis inclyta con-
Primi Danorum Friderici filia Regis (iunx,
E Sophia illuſtri Pomerana Principe nata,
Quam pietas, quam pura fides, quam gratia morum
Heroinarum decus effecêre, Deiq́;
Donis DOROTHEAM fama ſuper æthera notam,
Huc tulit oſſa obiens: animam tu Chriſte tuliſti.

HOS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 254 [35,-155 4°]

HOSPES ET GENIVS
COLLOQVVNTVR.

DOrotheæ tumuli quæ ſtant in margine Diuæ?
G. Pura Fides, Pietas candida, trina Charis.
H. Cur plorant adeo? G. deplorant fata ſororis:
H. Additur vna tribus ſiccine Diua choris?
G. Additur: H. ò felix quæ talibus addita Diuis
Fulget Lucifero clarior ante Deum.

FINIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 254 [35,-155 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 254 [35,-155 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 254 [35,-155 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 254 [35,-155 4°]